









MÆCENATES PATRONOS

Vol. 1m. n. 109. c.

14

ET  
FAVTORES

VT ORATIONIBVS IN

SERENISSIMI PRINCIPIS AC PA-  
TRIS PATRIÆ

FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORIS SAXONIÆ ETC.

DIEM ONOMASTICVM

QVI EST A. D. III. AVGVSTI

IN AVDITORIO SVPERIORI

LYCEI LVBBENENSIS HORA IX RECI-  
TANDIS BENIGNE LVBENTIQVE  
ANIMO INTERESSE VELINT

*CVM SYMMÆ PIETATIS OMNISQVE OBSER-  
VANTIÆ SIGNIFICATIONE ROGAT*

AC SPECIMEN ANIMADVERSIONVM CRI-  
TICARVM IN T. LIVII QVATVOR PRI-  
ORES LIBROS PRÆMITTIT

M. IMMAN. JO. GERHARD SCHELLERVS

RECTOR LYC. LVBBEN. & SOCIET.

LAT. JENENS. SODALIS

LVBBENÆ EX OFFICINA DRIMELIA

1004



\* \* \*

O beatus is, bene qui imperare  
Ciuiibus nouit, cupit & beatas,  
Que clemens sceptrum venerantur  
eius,

Reddere terras!

Gratus est coelo: meritisque fulgens,  
Fata quando vrgent, abit hisce terris  
Lætus, ac tandem feret a Jehoua  
Præmia lauta.

Ciuum in læto gremio, pericli  
Non timens, ponit caput, atque tutus  
Dormit hic semper mediaque silua.

Quanta voluptas!

Cum vident ciues, animus mouetur:  
Plausibus læti excipiunt euntem,  
Legibus parent animo lubenti,  
Quas dedit ille.

Atra cum nox eripit hunc, querentes  
Stant humi fixis oculis, & ingens  
Nec capax iustæ lacrimæ trementes  
Concutit horror.

Talis at virtutibus esse dñes  
Debet: ac pulchro comitatu earum  
Splendet incedens, vti sol in alto  
Splendet olympo.

Talis, AVGVSTE, es, VENERAN-  
DE PRINCEPS,

Te colunt ciues animo haud coactio,  
Atque amant vere, excipiuntque  
plausu  
Te venientem.

Tu refers Patrem, similisque mente  
Persequi pergis bene coepta ab illo,  
Nosque felices, Pater ut solebat,  
Reddere gaudes.

Es clemens, iustus, sapiens, benignus:  
Hacce virtutum comitatu vbique  
Cinctus, altas res geris atque magno  
Principe dignas.

Sis diu felix! maneatque multos  
Nostra cura ac deliciæ per annos!  
O dies, nobis noua perge semper  
Gaudia ferre!

\* \* \*



## Q. B. V



n emendando *T. Livi*o, præter alios multos, imprimis *Gronovius* vterque, maxime pater, quem ob ἀγχινοίαν & ingenii iudicii que felicitatem eximiam Criticorum principem recte appellaueris, deinde *Jac. Perizonius* ac *Dukerus*, *Duumviri* & exquisitæ doctrinæ & ingenii subacti sagacisque, tandemque *Cel. Drakenborchius*, ingenti Codd. scriptorum copia adiutus, vt egregiam sæpissime felicemque operam posuere, ita non negandum est, non pauca in illo scriptore præstantissimo remansisse vitia. Multa, quæ illi egregie dixerunt, non nisi in conjectura posita sunt, interdum a vestigiis Codicum iusto longius recedente, multa plane, vt fit, eorum diligentiam effugerunt. Quis enim est mortalium, qui in libro legendo ac relegendò eandem vbique attentionem seruire sustineat? Vel ei, qui quam maxime ad singula, etiamsi leuia, attendere consuevit (quod paucorum est), subinde accidit, vt mens, vel aliud agens, vel legendo & meditando fessa, alia, quam dederit scriptor, videat legatque, & multa, quæ absint, adesse, multa, quæ adsint, abesse opinetur, sicque multos librariorum errores temere prætermittat. Quod ni ita se haberet, vnde, quæso

\*





quæso, factum esset, ut alii Critici alios errores sentirent, ac locos sanarent, de quibus priores interpretes nihil omnino monuissent? Dandum hoc humanitati, nec exprobranda est cuiquam hæc negligentia ubique obvia & omnibus communis. Id quod non cogitarunt *Sigonius, Faber* alique Critici Seculorum superiorum multi, qui se inuicem stultitiæ & inscititiæ accusarunt, acerrimeque exagitarunt, atque ita nomen Critici infamarunt. Neque igitur summis istis Viris, quorum ingenium studiumque a quoque litterarum harum amante maximi faciendum esse res ipsa docet, vitio vertendum est, si in Liuiio emendando omnia exhaurire h. e. humanitatem vincere non potuerit. Imo, quæ fecere, ea grato animo sunt accipienda, & cuiusque est, iis insistere ac pro virili longius progredi, si forte, labore communi, consummatius quid effici possit. Liuius enim, si quis alius, dignus est, qui tironibus quam maxime comets ornatusque tradatur. In quem si hic obseruationum criticarum nescio quid profero, earum omne pretium a iudicio doctorum pendere volo. Ratio earum hæc est, ut, emendationibus aliorum sub examen vocatis, vel iis assentiar, adiectis argumentis, quibus magis stabilirentur, vel contra eas vulgatum teneat, vel iis reiectis, alias coniecturas ponam, quibus interdum tironum gratia explanationes adijciendas putavi. In coniecturis quidem proferendis seruavi hanc rationem, ut primo vestigiis Codicum insisterem, deinde stili Liuiani rationem haberem. Neque enim sum ex eorum numero, qui scriptores priscos vocabulis raris & obsoletis donare gestiant & exquisitis, quam scripserint, scribere iubeant: in quibus maxime *Cortius* in notis ad Sallust. & ad Cic. Epist. itemque *J. Fr. Gronouius* alique multi referendi videntur. Coniecturarum, ut dixi, pretium ab iudicio doctorum pendere velim. Quas, tantum abest, ut tanquam certissimas venditem, ut mihi contra semper displicuerit nonnullorum Criticorum temeritas scribentium: *Legæ meo periculo — nil certius mea emendatione &c.* Coniecturæ, nisi Codd. MSS. auctoritate ac testimonio firmantur, manent coniecturæ h. e. nunquam dacent, quid vere scripserit auctor, sed quid eum scrip-



*scripsisse verisimillimum* sit. Nominavi specimen, nec aliter accipi velim. Homo sum, humani a me nihil alienum existimans. Si quando in conicienda meliore lectione paullo audacior visus fuero, forsân studium meum, aliis locis vindicandi Liuii a correctionibus aliorum, me lectori reconciliabit. Vnum adhuc monere opus. Vtor edit. *Gronouiana*, *Birrii* studio, recusa: non item *Drakenborchiana*. Huius tamen & aliorum ipsius editioni insertorum animaduersiones olim excerpti inque compendium redegi. Id quod monendum duxi, ne, si quid forsân a me omissum sit, quod in ed. *Drakenb.* reperiat, id credatur a me de industria sileri.

## Lib. I. cap. 1.

*Henetos Troianosque eas tenuisse terras, & in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur: pagoque inde Troiano nomen est, gens vniuersa Veneti appellati.*) *Drakenb.* scabri hic aliquid latere monet. Forsân, quia membra non apte cohærent. Primum pro *vocatur* leg. puto *vocatus*: Possit etiam pro *& in quem legi sed in quem*, vt *rd s.* a præced. vocabulo absorpta fuerit. Et sensus sic melius procedit. Dicit Liuius, *Henetos & Troianos* quidem terras simul tenuisse: at *Troianis* tamen hoc præcipui datum, vt locus, in quem ambæ gentes egressæ essent, *Troia*, & totus pagus (District) *Troianus* appellaretur; quemadmodum contra tota gens (sc. *populus Troi. & Henet.* v. *Gron ad V, 34.*) communi nomine *Henerorum* continebantur. Sic omnia cohærent. Deinde neminem mouere debet, quod & oratio obliqua cum recta & tempora diuersa, præter. & præter. (*vocatus, — est — appellati*), hic coniungantur. sic Liuius alibi. v. c. statim: *Aenean — tenuisse: Troie loco nomen est.*

*Sed ad maiora initia rerum duc. fat.*) I. F. Gron. conj. *maiorum* Male Liuius & alibi adiectiua (quo pertinent pronomina) confundit ita, vt, quod substantiuo posteriori conuenit, id priori iungat & contra. v. c. infra c. 9. *violati fœdus hospitii* pro *violatum*, c. 4. *cursum iussu annis* pro *iustum*, cap. 30. *hac fiducia vi-*





virium pro harum, IV, 8. magis necessariam quam speciosi ministerii procuracionem pro necessariis, sic Cic. aliique.

Ab Sicilia classe Laurentem agrum ten.) Amplectenda utique, dum quid melius reperiatur, Jac. Gronovii emendatio, ingeniosa satis: ab Sicilia errasse ac Laur.

Ea res utique Troianis spem affirmat, Dukero videtur oratio salebrofa: hinc corrigit: ea re utique Troianis spem affirmatam tandem &c. Non male, si Livius ita scribere voluisset. At eodem modo supra: Aeneam in Macedoniam venisse — delatum — agrum tenuisse. Troie & huic loco nomen est.

ca. 4

Forse quadam diuinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis, nec adiri ad iustum cursum annis poterat, rã forte quadam diuinitus offendunt, quicquid J. F. Gronovius dicat. Non hoc queritur, an gentiles, quæ forte acciderint, diis tribuerint: quod non nego: sed queritur, an scriptor aliquis, præsertim diligens, qualis est Livius, unquam dixerit forse quadam diuinitus. Quare 1) vel rã diuinitus pro glossæmate rãv forse quadam habendum ac circumferendum. 2) vel coniectura Gruteri probanda legentis: forse quadam an diuinitus. rã an ob similitudinem præced. syllabæ facile intercidere potuit. Gentiles etiam inter fortunam s. casum & deos discrimen fecisse leguntur. Deinde ad iusti cursum annis pro iustum v. supr. ad. c. 1.

Posse quamuis languida mergi aqua infantes) Drak. quamuis expl. valde: quod hic non opus, cum visitata notione explicari possit: Licet aqua esset languida, tamen spes erat, posse eos mergi. Deinde alluvie, pro quo Gronov. eluvie mauult, tolerandum videtur, cum alluere, monente ipso Gronovio, sic dicatur. E scriptoribus præcis debemus notiones verborum discere, non has ex ingenio formare & deinde scriptores ad eas accommodare.

cap.

mibi ex manuscripto  
J. F. Gronovii: Troie

mibi. Sorte

mibi: alluvie



## c. 5

*Sic Numitori traditur.) Sic i. e. propterea, sic ita hoc cap. extr. Ita undique regi dolus neclitur, it. c. 10. ita per se ipsum nomen Ceninum &c. Leue hoc est, at, propter tirones, non negligendum. Multas alias notiones exquisitas sustinens hæ particule v. c. hoc cap. ita regem obruncant est i. q. tum, (pro quo & Liv. III., 14. dixit ibi. Sed ibi plurimum profectum est) it. cap. 6. Ita Numitori Albana res permiffa i. e. tum. sic Græcis ἕτως, v. c. Xenoph. Sympof. II. §. 26. &c.*

*Jam inde ab initio Faustulo spes fuerat — educari) i. e. Faustulus crediderat, opinatus erat. Spes est hic opinio, vt sperare sæpe opinari, si de futura re vsurpatur. Nihil notius, estque hæc prima notio: deinde notat opinari vel bonum (i. e. confidere) vel malum (i. e. metuere) sic Græcorum ἐλπίς, ἐπιζῶ, ἄλπομα. Laudo, ne longus sim, imprimis Hoogev. ad Viger. p. 203. add. Vechn. Hellen. p. 509. ed. Heusing. cum huius nota, & Periz. ad Sanct. IV, 14. 22. p. 755.*

*Sciscitandoque eodem peruenit] Eodem hic ineptum est. Crevier. conicit eo demum, quod Drak. ad XXXII., 14. §. 2. ita probat, vt dicat, si codicum Flor. & Lov. 3. qui eo demum habent, consulendorum copia facta fuisset, se sic etiam hic edi curaturum fuisse: idque merito. Est itaque eo demum vera lectio.*

## c. 9.

*A plerisque rogitantibus dimissi, ecquod feminis quoque asyllum aperuissent] i. e. num quod asyllum &c. Respondent acerbè satis: num quoque feminis asyllum aperuissent? sic enim infames mulieres venturas, sicque compar demum connubium fore. Ec in equis, ecquid &c. semper notat num, an: nec est simpliciter pro quis, quid, vt temere vulgus opinatur. Drak. ad III., ecquid feminis &c. monet tō ecquid per an debere explicari.*





Id quod non monuisset, si sibi persuasisset, aliam vim habere non posse. At ibi *sed ecquid* non est simpl. *an*, sed *an quid* i. e. *an forte* &c. Caterum hinc apparet, quam perperam Cel. Heimericus ap. Drakenborchium hic coniecerit: *ecquidni* per *ecquod*. Est vox nihili: nusquam occurrit, nec, propter linguæ rationem & analogiam vsquam occurrere potest. Melius Sigonius: *Ecquid non*, sic sensus foret facilius: modo codices addiderent. Dixit ille quidem, sic habere vet. libros; at quam parum fidei ei haberi possit, Gronovius passim luculenter docuit.

*Vbi spectaculi tempus venit, dedit eque eo mentes essent] pro eo legendum ei, facile persuaserim lectoribus.*

## cap. 15.

Belli Fidenatis contagione irritati Veientium animi & consanguinitate (nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt), & quod ipsa propinquitas loci — stimulabat, in fines Romanos excurrerunt, populabundi) Locus hic mihi non cohærere videtur. *Animi Veientium — excurrerunt populabundi* &c. Quis orationem tam ἀναλόγητον Liviø, scriptori diligentissimo tribuat? Deinde *contagio belli* & *propinquitas loci* parum differunt. Forsan locus interpunctione sanandus: Vel sic: *Belli Fid. — Vei. animi. Et consanguinitate* (i. e. propter consang.) — *Et quod — stimulabat, excurrerunt* int. ipsi. At tum pro irritati mallem irretiti. Vel sic: *Belli Fid. — stimulabat. In fines Rom. excurrerunt* sc. ipsi. posterius magis placet, ut in irritati intell. sum Sed quomodo *contagio bell. Fid. & propinquitas loci* differunt? sic, ut *contagio belli Fid.* sit propinquitas belli, quia scil. Fidenæ, cum quibus Romani bellum gerebant, prope erant, sicque ipsi hoc bello poterant opprimi paullatim; *propinquitas loci* intell. propinquitas Romæ, quam urbem in uniuersum timebant. *Irritati* pertinet ad *contagione* & ad *consanguinitate*.

Ab



Ab illo enim profectu viribus datis tantum valuit, ut in quadraginta deinde annos pacem tutam haberet] ab illo profectus est ab illo initio: profectus est initium, a proficiscor i. e. existerior. Audio. At cum codices, quorum auctoritas alibi tam sancte colitur, habeant profecto, quod Drak. tamen esse putat pro profectu, ut *senato* pro *senatu*, (nam *senatus* etiam secunda declin. occurrit, v. c. *senati* ap. Sallust. Cat. XXX., 3. vbi v. Cort.) equidem legerim: *A bello enim profecto* (i. e. vere) *viribus datis* &c. ut *res a bello* regantur a *res datis*. Sic 1) omnia egregie cohaerent. Antea enim dixerat Liuius de Romuli consilio urbis bello ac pace firmandae. Hoc nunc explicat, & causam affert. 2) sensus est facilis, nempe hic: Romulus enim viribus, quas a bello s. belli beneficio, (quia sic vicinas circa gentes vicit) accepit, tantum valuit, ut pace deinde perpetua tutaque frueretur. Res, quas a bello s. belli beneficio accepit, sunt robur militum militiae assuetorum, auctoritas dignitasque inter vicinos &c. Haec pacem tutam parant, atque praestant, haec absterrent vicinos a consilio belli &c. 3) *profecto* sic vi solita sumitur. Nec Liuius nomina tam archaice flectere solet, quam Sallustius aliive. 4) Lectio vulgata fundit sensum, fateor: at languidiorem, nec satis cohaerentem. 5) Mutatio *res ab illo in a bello* est tam facilis, ut audaciae argui uix possim. Centies litteram primam vocabuli vocabulo praecedenti alleverunt librarii & contra.

## cap. 17.

*Necdum a singulis, quia nemo magnopere eminebat in nouo populo, peruenerant factiones: inter ordines certabatur.]* Hic locus multos vexauit. Grauius conj. *necdum ad singulos — peruenerat. Factionibus inter* &c. Quam coniecturam Gronouio, praecptori suo, probauit, qui ad *peruenerat* e praeced. intell. *certamen*. At pace manuum tantorum virorum praestata coniectura, quae mihi quidem sensum obscurum edere videtur, placet vulgatum, modo, facillima mutatione pro  
perue-



*peruenerant legatur prouenerant. Prouenire est nasci, oriri. A singulis, si eminent in populo suo, proueniunt factiones, tanquam e fonte. Noti sunt Pompeius & Cæsar. per & pro ubique a librariis confunduntur. Puto hanc coniecturam facilitate & sensus & mutationis commendari.*

## cap. 19.

*Sacra instituere, sacerdotes cuique deorum præficere] sacerdotes diis præficere an alibi reperitur, nescire se ait Dukerus. Quare, si hoc non possit ostendi, pro deorum legendum suspicatur eorum int. sacrorum. Est hæc mutatio facilis. At ut hæc ipsa formula non alibi occurrat, tamen, cum simillimæ reperiantur, v. c. præposita oraculo sacerdos ap. Cic. Diuin. I, 20 antistes Iouis ap. Nep. Lys. 3. antistita Phœbi Ouid. Met. XIII, 41. rō deorum hic loco mouendum non uiderur. Verat usus loquendi singula ad uiuum refecari.*

## cap. 21.

*Deorum assidua insidens cura] nonne assidue aptius?*

*Vt fides ac iusurandum, proxime legum ac poenarum metum, ciuitatem regerent] sic ed. Gronou. e coniectura vel Mureti vel Fabri vel utriusque. Drak. ob codd. consensum reposuit proximo — metu, quod omni caret sensu. nam Doujatii explicatio, quam refert Drakenborchius, sensum præ se fert, qui e verbis elici nequit. Proxime metum non caret sensu, estque i. q. fere æque ac metus &c. At Liuius uidetur mihi non dicere uelle, fidem & iusurandum rexisse ciuitatem fere sic, ut metus legum & poenarum humanarum regere solet, sed rexisse potentius. Quare uidendum, an metu, quod codd. defendunt, retento, pro proximo Gronouii coniecturam pro summo, quam ipse deseruit, amplectamur, vel legamus: potentius omni, potius omni, præ omni &c. Vltimum forsitan*





san magis arrideat. *Præ omni metu est: magis quam omnis me-  
tus.* Nihil tamen definire licet.

c. 26.

*Caput obnube liberatoris urbis huius) liberatori legendum esse  
sentiet, quicumque venustatem latini sermonis sentit. semper  
sic Lilius: & in aliis scriptoribus ab interpretibus eiusmodi  
datius præfertur.*

c. 29.

*Tacita mæstitia ita defixit omnium animos, ut præ metu  
obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio,  
rogitantesque &c.) Dukerus, vir sagacissimus, primus vitium  
hic odoratus, dicit: Atqui paulo ante dixit, non fuisse pau-  
orem, sed silentium & mæstitiam. An ergo hic quoque  
scripsit præ merore obliti? Hæc Duk. Verum est, Liliium tra-  
dere, vii legiones Romanæ, ad diruendam Albam missæ por-  
tas intrauerint, non fuisse tumultum, nec pauorem, qualis  
captarum urbium esse solet, sed silentium triste, ac mæstiti-  
am tacitam defixisse omnium animos &c. At 1) pavor & me-  
tus multum differunt. Pavor est metu grauior, est quædam  
palpitatio cordis, Angst, Bangigkeit, sicque semper explica-  
ri debet. Quamquam itaque non aderat pavor, metus tamen  
afuisse non negatur. 2) deinde cum Duk. pro metu conicit  
merore, hoc non placet, quia iam præcessit mæstitia. Ratio  
contextus desiderat gradationem: debebat ergo sequi aliquid,  
quod grauius esset mæstitia. Neque tamen Dukero non af-  
sentior, mendum hic latere. *ut præ merore sunt æque langu-  
da, ac præ metu.* Omnibus itaque rite perpenfis, vestigia  
vulgatæ sequens, legendum suspicor: *ut ferme sui obliti, quid &c.*  
sic *ut quid relinquerent, quid secum ferrent* pendent a *defici-  
ente consilio*, quod & melius esse puto, quam pendere a *ut  
obliti*. P & F plerumque a librariis confundi norum: nec  
minus facile *fermesui* in *premetu* confundi potuere. *Oblitisci  
sui* est signum pavoris, atque, nisi me omnia fallant, egregie  
contextis convenit.*

✱✱

cap.





## cap. 32.

*Quandoque pars maior — in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu. Fieri solitum, ut &c.)* Sic Gronovius pater, ut, puto, <sup>ut</sup> ut consuleret, interpunxit & expl. proinde habebatur atque si omnes consensissent. Miror, cum cod. Flor. habeat *bellum erat consensum* i. e. *decretum*, Gronovium hanc lectionem reiecit: quæ id plane ostendit, quod ex illa lectione ille operose extundit. An credidit non dici posse: *bellum erat consensum*? At 1) ap. Gell. XV, 26, quem locum ipse laudat, est partic. pass. *consensus quibusdam & concessis*, quæ forma iam significat, verbo accusativum iungi solere 2) deinde ap. Livium VIII, 6. aperte sic legitur: *consensu & senatus bellum*, ubi Drak. sine causa hæret, putatque præter rem elliptice dictum, & supplendum fieri. Veram itaque lectionem puto *consensum*.

## cap. 33.

*Cum circa Palatium, sedem veterum Romanorum, Sabini — montem Albani implessent*) sic Cel. Drak. fide MSS. nixus pro: veteres Romani, recepit, recteque defendit ex historia. Veteres enim Romani in ipso Palatio (h. e. monte Palatino) non circa habitaverunt. Addo, ne latine quidem dici *implere sedem*. At *locum, montem implere* recte dicitur i. e. *ita ibi habitare, ut aliis sedes fere non relinquatur*.

*Janiculum quoque adiectum — id non muro solum, sed etiam — ponte sublicio — conjungi urbi placuit*) *Janiculum iungi urbi ponte sublicio* commode dicitur, at non item: *muro*. Hoc foret murum ducere a Janiculo ad urbem: quod Livius tamen dicere nec voluit nec potuit. Inter Janiculum enim & urbem interfluebat Tiberis. Dukerus perspicacissimus sentiens hic difficultatem ait: Cum non constet, Janiculum muro Romæ junctum fuisse, ut Piræum Athenis, (hæc alia res: non fieri poterat, ob Tiberim interfluentem, ut Janiculum urbi iungeretur: quod secus erat Athenis) ad id genus ellipticos (quam figuram vocant Zeugma & Synzeugmenon, de qua v. Sanct.



v. Sanct. Min. IV, 8), referendum censet, cum vnum verbum pluribus nominibus apponitur, altero suppresso, *muro cingi* scilicet. At 1) si locus sine figura explicari possit, semper melius esse arbitror. Hinc Burmanno ad Ouid. Metam. init. assentior, damaanti fere vbique decantatam illam Hypallagen. quanquam dubito, an vbique ea supersedere possimus. 2) Si scriptores duo nomina vni verbo iungunt, (nam Zeugma sepe occurrere non est dubium), hæc coniunctio, quantum ego obseruavi, talis est, vt facile intelligatur, quod verbum ommissum sit: quod hic non est: vt taceam, plerumque talia nomina vni verbo iungi, quæ similitudinem aliquam relationemque inter se habeant, vt genus ac species, vel species duæ. Considerentur exempla a Sanctio Perizonioque & Corrio ad Sall. Jug. 38. 42. 49. laudata: c. 38. est: *Fame, ferro clausum tenet*. c. 42. multos — *ferro aut fuga extinxit*, c. 49. *pecunia aut honore extulerat*. Vt taceam, Sallustium, more Thucydidis, quem imitatur, delectari aspero eiusmodi & inæquali sermone: quod longe secus est in Liiio. Qui si duo nomina diuersa vni verbo apponit, inter ea similitudo coniunctioque intercedit facile intelligenda, v. c. II, 11, *vt non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur*. Hic *compelleretur* & ad *cetera* & ad *pecus* refertur, cum ad hoc solum proprie referendum sit: at inter *cetera* & *pecus* intercedit hic coniunctio quædam: *cetera* exprimit genus eorum, quæ in agris sunt, v. c. serui, pecus &c. vt adeo pecus tanquam species subsequatur. At si secus est, abstinet Liius ista figura: v. c. Liu. III, 67 extr. vulgo leguntur: *Esquilias* quidem ab hoste prope *captas* & *scandentem* in aggerem *Volscum* hostem nemo *submouit*. Hic Drak. itidem statuit istam figuram, potestque sibi persuadere, Liium *ro* *submouit* quoque retulisse ad *Esquilias captas*. Quod quis concoquat? Melius J. Fr. Gronouius corrigens *Esquilie* — *capte*. 3) accedit, quod Liius hic primum refert rem, de qua ante nil dixerat. Quis credat, eum tam obscure locutum? Ergo equidem





dem vel cingi a librariis omittum, vel pro muro legendum  
puto muniri: sic semper Liuius hoc libro pro: muro circumdari.

## cap. 34.

Roma est ad id potissimum visa] J. F. Gronou. conj. potissima.  
Heum. aprissima. Ego contra, si vitium hic est, in rō visa  
latere iudico: pro quo melius foret delecta vel simile quid.  
At vulgatum ferri potest. Videre est etiam sequi aliquid, ven-  
dere ad, appetere &c. v. c. Liu. II, 12. qui magnam gloriam vi-  
dent, i. e. appetunt, v. ibi J. F. Gronouius. ad tunc h. l. est  
propter: sic Græci πρὸς, v. Viger ac sic forsan expl. Joh. XIII, 28.  
πρὸς τί ἄνω ἀνω propter quid, cur ei dixisset. dicit ergo Liui-  
us; propterea (scil. quod honoratum virum videre volebat)  
potissimum Roma petita est.

mulier. Excelsa & alta sperare complexa  
virum iubet (sc. Tanaquil), eam alitem &c.) Sermo est de  
aquila, quæ Tarquinio pileum modo, auferens modo apte  
reponens augurium fecisse videbatur. Nihil hic interpretes.  
Excelsa & alta me offendunt: nam prius ad Tanaquilem re-  
ferre durum est. Conieci ex alite pro & alta facili mutati-  
one. ex cum & facile confunditur. Sicque Tac. Ann. XII, 43.  
magnaque deum benignitate & modestia hiemis rebus extremis  
subuenient pro & lego ex i. e. post. alta & alite parum diffe-  
runt. Iubet Tanaquil, complexa virum, ex alite i. e. aquila  
excelsa sperare. Nec moueor, quod paullo post sequitur ali-  
tem. Repetitio talis Liuius non insolens, v. c. supra c. 3. is  
sepultus in eo colle, qui nunc est pars Rom. vrbs, cognom.  
colli fecit. crebriores eiusmodi repetitiones ap. Cæsarem ob-  
seruauit Bergerus de natur. pulchritud. orat. p. 236. ff. v. c. ap  
illum B. Gall. I, 49. quinquies vocabulum locus repetitur &c.

## cap. 36.

Cum ille in augurio rem expertus] Florus I, 5 de eadem re  
loquens habet: ille rem expertus augurio, sine rō in, quod  
& Faber hic deleri vult: Gronouius vtrumque ferri posse  
pronuntiat, at sententiam hanc non exemplis stabiliuit. Ego  
vel



vel *rd* in circumscribendam censeo, ut quod ex *ille* nasci potuit, vel *inaugurio* vno vocabulo scribendum. Nam si *Liuius* de eadem re *inaugurare* pro *augurare* dixit hoc cap. *diuine, tu inaugura, ferre possi* &c. it. c. 7. in. quidni *inaugurium* eodem sensu dicere potuit pro *augurio*? At non alibi occurrit. Nonne pluribus vocabulis idem accidit?

## cap. 37.

*Montes Sabini petebant, & pauci tenuere,*) pro *Drak*. sed nisi quis *at* malit. Leue hoc. sensus: Sabini quidem fugerunt in montes, at pauci eo peruenerunt.

## cap. 39.

*Flammam abiisse]* Pro *abiisse* Codd. nonnulli *abiisse*, quæ forma præferenda.

*Inde puerum — erudiri que artibus, quibus puerum ingenia ad magnæ fortune cultum excitantur)* Hæc *p̄sis* pendet a superiori *ferunt*. quod not. cum iam recta oratio præcesserit *Tum adducto — Tanaquil — inquit*. Sed sic solent scriptores orationem variare v. supra ad *I. r. & Ceh. Ernesti* ad *Tac.* Ann. 1, 36. XII, 64. itemque *Drak.* in *Liuium* passim. Deinde *rd* ad *magnæ fortune cultum*, etsi *cultus* Fortune, tanquam Deæ, alibi edere nego. Dicit *Liuius*, puerum eruditum esse iis artibus, quæ ut cupidum magnarum rerum, ita idoneum aliquando ad eas gerendas redderent, sicque efficerent, ut ad magnæ fortune fastigium escenderet. Cod. vnus ap. *Drak.* habet *culmen*, quod sensum fundit non ineptum. Si tamen & contextum diligenter inspicias & vestigiis vocabuli *cultum* insistas, parum aberit, quin rescribendum putes *gustum*: sic *gustus laudis* dicitur. *Aries liberales* dant *gustum* sapientiæ, efficiuntque, ut, (velut est ap. *Horat.*) *sapere audeas*, alunt mentem, efficiuntque, ut magnas res concipiat. Nec *magnæ fortune* hic satis placet, quanquam sic dici posse eam scio ut quæ rerum humanarum domina appelleretur. At hic non ut dea, puto consideratur.

\*\* 3

cap





*Sed & iniurie dolor in Tarquinium ipsum magis, quam in Seruium eos (Ance filios) stimulabat: & quia grauior vltor cædis, si superesset, rex futurus erat, quam priuatus: tum, Seruius occiso, quemcunque alium generum delegisset, eundem regni heredem facturum videbatur. Ob hæc ipsi regi insidiæ parantur.)* Locus hic difficillimus putatur, & est, si Gronouium patrem audimus quia delentem, cuius sententiam Drakenborchium vnicè amplecti miror. Duas enunciationes primarias huic loco inesse quisque diligenter attendens animadvertet. Dicit nempe Liuius primum in vniuersum, Ance filios, quam per Seruium regis generum factum exclusos se regno cernerent, tamen, re altius indagata, non tam in hunc, quam in Tarquinium regem, utpote causam primam, ira stimulatōs esse. Hæc insunt verbis: *Sed & iniurie — stimulabat. Deinde* addit, eos eo iræ progressos, ut regi, non Seruio, insidias mortemque pararent, duabus adducti causis a) quia, si Seruium interfecissent, Tarquinius, tanquam rex, grauior vltor cædis futurus esset, quam Seruius, priuatus adhuc, b) quia ne cædes Seruii quidem quicquam ipsis profutura esset, cum Tarquinius, cæso Seruio, alium, ut generum, ita successorem lecturus esset. Hæc insunt verbis *& quia — facturum videbatur.* Hinc concludunt Ance filii, tutius & melius fore, regem ipsum occidi. Verba itaque *ob hæc ipsi regi insidiæ parantur* acutè cum illis cohærent. Sensus itaque absolutus vulgatè inest, modo, distinctione mutata post *videbatur* tollatur interpunctio maxima. Sic itaque oratio procedet: *Sed &* (i. e. non solum) *iniurie dolor — stimulabat, &* (i. e. sed etiam), *quia grauior — priuatus, tum* (i. e. præterea) — *videbatur, ob hæc ipsi regi insidiæ parantur.* Omnia clara. *Tum est præterea, insuper.* Posteriori enunciationi primariæ *& quia — insidiæ parantur* elegantè duæ causæ a) *quia — priuatus* b) *tum — videbatur* insertæ sunt. Sic Cicero, Liuius & quotquot venuste scribunt. Cortius ad Sall. Jug. § huius loci



loci mentionem facit, ita tamen, ut dicat, locum hunc, nunquam sollicitatum fuisse, si scriberetur: *um quia* &c. non male. At qui *quod quia* deesse eque proximo repetendum esse non sentit, parum sentiat necesse est. Nec omisso *quia* difficultas loci cernebatur.

## cap. 43.

*Ad equos emendos dena mill. aris — data. & quibus equos alerent, viduae attributa, quae — penderent*) J. F. Gronovius conj. & qui equos alerent & expl. ut haberent in sumtum, quo alerent equites. Recte. Ad vide, an propius ad Vulgatam accedat nostra conjectura: *data — quibus, ut equos* &c. ut & quibus transponantur, ac deinde pro quibus & efficiatur quibus ut. *Quibus* int. equitibus: quod in praec. latet. Forsan tamen in *quod* & quibus latet vocabulum *equitibus*: quod etsi praecessit, tamen eiusmodi repetitiones non novas videri debere, supra monuimus ad I, 34.

*Equites — vocabantur primi — ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis (int. centuriae) vocarentur: nec fere unquam ita descenderent, ut ad infimos peruenirent.*) Hic locus non cohaeret. Vnde pendent *ut vocarentur & descenderent*? *Ut vocarentur* non potest regi ab his: *alter gradus* nimirum factus est: ut Sigonius sensitse videtur, qui ignorantiae Glareani satisfactorius ipse ignorantiam, invitus licet, declarat. Puto *quod* *ut vocarentur* cohaerere cum *illis Equites — primi vocabantur* intell. *ita*, quod in tali contextu omitti solet. *Equites — vocabantur primi*, ut nimirum, si variaret, (quod tamen raro incidebat) centuriae secundae class. vocarentur. Majori difficultate laborat coniunctivus *descenderent*? Hic durum foret, priori ratione uti; nisi dicas, Livium hic non satis diligentem fuisse. Drak. ante *unquam* repetit *incidit*. Quod quis facile concoquat? Duplicem rationem proponam: a) vel ut cum Sigonio praec. *descenderent* legamus *descenderunt*, s. *descendere*, perfecti, ut *ut* e & aq. adhaerint, s. *descenderint* modo potenciali (*man moechte wohl nie so weit gekommen seyn*





sey) b) vel, vt post *incidebat* excidisse statuamus *fi*ebat, quod ob similem terminationem præc. verbi *incidebat* a librario o-scitante facile negligi atque omitti potuit, aut simile quid.

## cap. 45.

*Aucta ciuitate magnitudine vrbs*) Semper me offendit *ro* ciuitate. Aucta erat, adiectis duabus collibus Quirin. & Viminali, vrbs, non ciuitas: nec augmentum vrbs auget simul ciuitatem. Forsan pro *ciuitate* legendum minima mutatione: *sic late*. magnitudo vrbs profecto *late* aucta erat.

## ca. 46

*Contrahit celeriter similitudo eos, vt fere fit malum malo aptissimum.*) *ro* aptissimum sollicitari non debebat. At post fit posuerim signum distinct. maximæ. *eos, vt fere fit. Malum malo aptissimum* int. est. Oratio, puto, est sic viuidior & fortior. Nec malum fit malo aptissimum, sed iam est. Est pæne vulgare proverbium: *similis simili gaudet*.

## c. 51.

*Ab Turno dici sibi* (Tarquinio) & primoribus populorum *parari necem, vt Latinorum solus imperium teneat*) Loquitur Tarquinus rex, simulans sibi & primoribus Latinorum ab Turno Aricino necem parari. Nil hic interpretes. *Populorum* explicari potest, fateor: Latini enim triginta populis constabant, vt Dionysius Hal. tradit: Attamen *popularium* magis hic convenire putauerim. *popularis*, quod tirones norunt, est, *qui ex eodem populo est, ein Landsmann*. Mutatio est facillima.

*Suspectam fecit rem & ingenium Turni ferox, & oratio besterna, & mora Tarquini;* quod videbatur ob eam differri *cedes potuisse.*) Ob eam int. *moram*, quod statim præcessit. hoc cuique per se clarum, nec ego monuissem, nisi Drakenborchium vidissem perperam intelligere *rem*. Qui error viro docto, festinanter hoc forsan notanti, condonandus est facile.

cap.



## C. 52.

Posse — se vetusto iure agere, quod cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo federe teneantur.] Licet Quinctil. decl. 303. Drakenborchio dicatur *teneri* rō in iunxisse, tamen, cum contextus non sit similis, deinde iam & in in MSS. facile confundantur, malim iam legere: quæ vocula non otiosa est, sed sensum adauget.

## C. 53.

Vbi cum diuendita præda quadring. valenta recepisset] Cum Codd. ostendant *diuidenda*, J. Fr. Gronovius hinc, probante valde Drakenborchio, legit *diuendenda*. Quod exquisite dictum etsi largior, tamen, cum a) e *diuidenda* æque facile litteris transpositis *diuendita*, ac *diuendenda* effici possit, b) illud egregie huic contextui conueniat, vulgatam tuendam censeo. Subinde interpretes exquisitius cogitant, quam auctores scripsere. Quoties illi, si quid elegantiae norant vel molle putabant, id scriptoribus obtulerunt!

Forſitan etiam ardoris aliquid ad bellum armaque se aduersus superbissimum regem ac ferocissimum populum inuenturum. Tan. Faber offenditur rōis ferocissimum populum, tanquam populus, sub tyrannide viuens, non possit esse ferox i. e. fortis, sic enim explicandum: præsertim cum præcis tyrannis fere non nisi monarchiam indicet: in qua quin milites (at olim populus erat miles) fortissimi reperiantur, quis dubitet? Nec tamen hoc vocabulo omnis difficultas loci continetur. Quem tamen se recte habere puto, si recte explicetur. Dupliciter explico: 1) vel, vt sit oratio minitantis ac ferocis, verbaque ac ferocissimum populum regantur a rō inuenturum, non ab aduersus, hoc sensu, vt Tarquinius filius Gabii dicat: Si Gabini, forſan metu Romanorum capti, non flagrarent cupiditate bellum. Si cum Tarquinio patre, se utique alibi (ap. alium populum) aliquid ardoris (i. e. cupiditatis) ad bellum & arma (sumenda) aduersus superbissimum regem & (sc. inuenturum esse)

\*\*\*

alium





alium eumque ferocissimum populum. Ordo est: se inuenturum ardoris aliq. & populum feroc. adv. Tarq. 2) vel, vt sit oratio pollicentis: *se, si receptus fueris a Gabinis, sua praesentia ardoris aliquid ad bellum & arma adv. regem superb. & adv. populum ferocissimum inuenturum.* Inuenire foret tuum parare, efficere, vt ap. Cic. Scipio, qui primum nomen Africanum inuenit i. e. sibi parauit. Populus ferociss. foret populus Romanus, quem sic vocari posse praeter rem negat Faber. Posterior explicatio ob id etiam praefenda videtur. Sic omnia salua. Neque tamen nego, si ac mutetur in apud, (quod forsitan scriptum ap. in ac mutatum est) vtramque explicationem lenius procedere.

c. 55.

Inter principia condendi huius operis (Capitolii) mouisse numen — traditur Deos) pro Deos malim Deus sc. Terminus, qui remansit. nam de Iuuentate, de qua Florus, nil Liuius. Si Deos feruamus, haud dubie necessarium est deinde pro is Termini sano legere in Termini & Iuuentatis sano. Nam de Diis, qui cesserunt, non posse dici puto, mouisse numen ad indicandam tantam imperii molem: at de iis, qui resistunt.

ad eam rem consultandam) sic V, 5 ad eam rem consultandam. Ergo rem consultare rectum. sic rem consulere II, 28 Eam rem — deserunt, sed delatam consulere ordine non licuit.

c. 58.

Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit) sc. Lucretia. eum ferri potest. perulitatus est hic pleonasmus. At hic malim legere tum: & celeritatem & firmitatem animi exprimere videtur.

c. 59.

ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat) Si de consule, tribuno &c. dicitur: erat tum forte in magistratu, facile intelligitur, erant enim magistratus annui.

For-



*Forte est i. q. accidir, ut tum esset Sc.* At de tribuno Cele-  
rum tale quid nescio: fuisse tamen magistratum annum, hinc  
colligas. Brutus ap. Dionys. Hal. narrat, sibi hunc magistratum  
ob stuporem animi, quem simulabat, ab Tarquinio datum.  
Ergo hoc eo ipso anno factum esse necesse est, nisi fingamus,  
magistratum hunc in orbem iuisse; ac tunc accidisse, ut Bru-  
tus eum gereret. Doceri hic a doctioribus cupio.

## Lib. II.

## C. 4.

*Consules — profecti domo) proficisci domo est hic domo in  
publicum prodire, atque adeo intra urbem manere: quod not.  
Laudatur quidem in Lexicis in hanc rem Terentii in pi-  
strinum proficisci. At hic locus luculentior est.*

## C. II, EXTR.

*Herminius — concurrit ex insidiis) Scio, concurrere de vno  
homine recte dici, ut conclamare Sc. præsertim hic, ubi Her-  
minius vna cum militibus concurrebat. Attamen propter  
ex insidiis malim hic procurrit vel procurrit. In acie con-  
currimus: at ex insidiis potius procurrimus.*

## C. 12.

*Ibi cum stipendium forte militibus daretur, & scriba cum re-  
ge sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites vulgo adi-  
rent, timens — obruncat.] Hæc non coherent. Leg. cumque  
vel & eum. vò & propter præcedens ageret facillime exci-  
dere potuit.*

## cap. 13.

*De agro Veientibus restituendo impetratum] Locus hic exer-  
cuit viros doctos, Douiatium, qui Liviū in usum Delphi-  
ni edidit, & Drak. Videtur nempe hic locus pugnare infra  
cum c. 15. extr. ubi dicitur *Porſena agrum Veientem Romanis  
restituiffe, fadere ad Janiculum icto, ademtum, cum contra hic**

\*\*\* 2

dica-





dicatur *Porfena isto fœdere impetrasse, ut ager Veientibus restitueretur.* Quomodo, quæritur, *Porfena* id, quod *Veientibus restitutum est*, Romanis restituere potuit? Quare *Doujar*, hoc loco coniiicit legendum *de agro Veiente restit.* (proprius erat *Veientium*). *Drak.* ista duo loca ita conciliat, ut e: *Dionys.* ostendat *Porfenam* petisse, non ut *Veientibus ager restitueretur*, sed sibi, ut pretium pacis daretur, atque adeo *Veientibus non reddidisse*, sed sibi seruasle, quoniam postea c. 15. restituit. Quodsi *Dionys.* diserte tradidit *Porfenam* hoc petiisse, ut ager *Veientibus non restitueretur*, haud dubie legerim hic cum *Doujatio Veiente vel Veientium.* At ista in *Dionysio Hal.* non reperi. Puto utrumque locum, hunc & c. 15. ita conciliari posse, ut nil emendationis opus sit. Duo hæc loca non pugnant secum vere, sed pugnare videntur, ut opinor. Nempe tenendum est, *Veientes* fuisse *Tuscos* (v. *Liu.* I, 30. II, 50. V, 22) h. e. *Veientes* fuisse populum gentis *Tuscorum* (*populus* enim a *gente* ita differt, ut pars a toto. v. *Gronou.* ad *Liu.* V, 34). Jam *Porfena* fuit rex *Tuscorum* & *Etruscorum*. Ergo, quod *Veientibus restituitur*, id ille ita accipit, tanquam sibi restituitur: non itaque mirum, eum (c. 15) iussisse Romanos restituere *Veientibus*, popularibus suis, agrum olim ab illis ademtum. Deinde benignitate Romanorum motum eum pœnituit huius facti, & (c. 15.) restituit s. *Veientes* iubet restituere Romanis istum agrum. Sic nihil difficultatis relinqui puto.

## cap. 17.

*Inter — faucios consul spe incerta vite relictus*] *Saucii*, præsertim re male gesta, non relinquuntur, inprimisque consul, qui imperator est. *Dukerus* primus sensit, *relictus* hic non quadrare. recte: coniecit *relatus*, quod probo & addo III, 23. pro *relicto* *Rubenium* itidem legere *relato* vel *reducto*. Possit & legi *reuectus*. *Relatus*, *relictus* & *reuectus* facile inter se permutantur.

cap.



## c. 18. prope finem.

*Bellum indictum* — *Tacite inducie quietum annum tenere*)  
 Pro *Tacite* lego *Facke*, facili mutatione, cum F & T a librariis fere vbique confundantur. *Tacite inducie* occurrunt quidem infr. c. 64, at longe alia res est.

## c. 28. prope fin.

*Ad fellas consulum propepe conuolauere minimus quisque*] Loco *propepe* Drakenb. reposuit *prope*, existimans, cum Liuius iam *conuolauere dixerit*, *propepe* inutile esse. At licet ego is non sim, qui in eiusmodi figuris multum elegantiae venustatisque quæram casue scriptoribus obrudere coner (qua de re supra dixi) tamen vsus loquendi, tyrannus ille, audiendus est. Pleonasmus iste, vt in omnibus linguis, ita in latina quoque frequentatur, sic Cæs. B. G. III, 4 dixit *rursus reuerti*, Liu. VI, 12. *primum initium* (velut nostri: *den ersten Anfang machen*) Id. XXI, 20. *ante preoccupare* &c. Sic & hoc loco, etsi *conuolauere* iam celeritatem notat, *propepe* ei, tanquam comitem, addere non dubitem, præsertim cum celeritatem augere videatur: quæ est pleonasmii vis propria. Liuius feruidam cupiditatem Patrum natu minimorum bene sic depingit. *Propepe* languidam, vt equidem reor, reddit orationem. Cæterum *prope* ac *propepe* in MSS. confundi tralacitium est.

## cap. 41.

*nec omni plebe aduersante. que primo ceperat fastidire munus vulgatum a ciuibus esse in socios*] Locus hic torfit J. F. Gronouium & Drakenborchium. Ille *esse*, pro quo unus codex habet *esse*, eiicit: hic pro *esse*, transpositis litteris, effingit *sese*, vt sit: *a ciuibus sese* i. e. *a sese*, qui ciues erant, *esse vulgatum in socios*. Ego *esse*, quod alibi Critici *esse* tam cupide præferunt, tanquam elegantius, etiam hic, defendentibus præsertim Codd. MSS. retinendum, totumque locum, qui saluus mihi videtur, ita explicandum censeo. *Que (plebs)*

\*\*\* 3

pri



to vulgatum

primo ceperat fastidire, (sc. Cassium) esse vulgatum minus a civibus in socios, ut sic lupinum: ire vulgatum recte dicitur: notum est illud Terentii: *cur te is perditum* &c. esse vulgatum i. q. vulgasse. Fastidire, sine accusatio positum, non tam mirum videri debet, quam visum est Gronouio patri, cum & Val. Max. II, 6, 8 dixerit: *fastidisti esse spectator mortis*. Cicero nude posuit Mil. 16 in recte factis *fastidimus*: ut taceam, Sanctio infinitivos casus quoslibet, ergo & accusativum sustinere, v. Sanct. Min. III, 6, maxime pag. 428. *fastidire*, momente Gronouio Obseruat. IV, 10 p. 624 ed. Lips., a gustu translatum, est *pene auersari, non ferre, non appetere, reuicere aut arduum difficilemque accessum dare*. Quae assero, quia Drakenborchium video contra Doujatium negare *fastidire* significare *molestie ferre*. Verum, ut locum hunc saluum praestitici, sic in praeced. *nec omni plebe aduersante pro omni matim omnino*. Scio nec coniungi posse cum *aduersante*, ut ferisus sit: *idque plebe omni assente: non aduersari* i. q. assentire. at illud (*omnino*) tamen Livio dignius iudicauerim.

## cap. 42.

Tribuni plebis popularem potestatem lege populari celebrabant] h. e. potestatem (i. e. magistratum suum) popularem (populo suauem) lege populari (populo accepta, quales sunt agrariae &c.) celebrabant h. e. iactabant, commendabant. sic expl. celebrabant, sicque infra occurrit, non *augebant*, ut Gebhard. explicat, quae notio nec occurrit, nec huc quadrat. Livius dicit, non *quid fecerint* tribuni, sed de *conatu* eorum ac studio aliquid efficiendi, nempe gratiae popularis captandae

## cap. 45.

Incitant Veientes Etruscisque Romanos, eorum discordiam putantes esse fictam timoris celandi gratia: Simulationem intestinae discordiae remedium timoris inueniunt: & consules magis non confidere, quam non credere suis militibus &c.) Sensus planus. Dicunt: Romanos simulatione intestinae discordiae, tanquam remedio (h. e. praetextu) timoris sui: sed, si quis vere rem astimet



met, consules magis non confidere militibus, h. e. confidere, eos fore fortiter rem gesturos, quam non credere eis h. e. eorum fidei, s. eos aliena ab ipsis esse voluntate: breuius; Consules potius desperare de militum virtute, quam de eorum fide. Hic est sensus. Ut omnia, ita postrema: nouum seditionis genus &c. irridendi causa a Veientibus proferri palam est. Facilior sensus foret, si pro & consules &c. legeretur sed vel at: quæ mutatio est facilis: sed vel sine ea sensus constat.

ca. 46.

Vix explicandi ordinis spatium Etruscis fuit) Gronou. recte coniecit ordines. res ipsa postulat, & Lilius amat gerundius uti ita, ut casum verborum suorum regant. Sic v. c. IV, *ss* quam impediendo id, quod petebant, expr. pro qua impedienda: vbi facile tiro hæreat.

c. 56.

Facile & contemptum de iure differendo perturbare Latorium poterat) rō & hic otiosum est sensumque impedit, ut quisque videt. Contra eius sc. Latorii suppleri debet ad iure. Quare puto vel Lilius pro et scripsisse eius vel legendum esse: Facile tam contemptum. Fortasse tam compendio scribendi exaratum erat t, virgula supra posita: inde fecit librarius at, elemento e ex præced. voce facile sumto.

c. 58. prope fin.

Omnes sua sponte motam remittere industriam) Dicit: Milites, si Appius eos adhortatus erat ad laborem, eo pigriores factos, odio Appii imperatoris impulsos. Clericus tentat notam. Sed locus filius. Drak. motam expl. incitatum, ut ad sua sponte referatur; at industria sua sponte incitata durum est. Ego motam explico coeptam. mouere est incipere, v. c. I, 17 cum sensissent ea moueri i. e. incipi. cui loco similis est Ouid. Met. V, 45 testatus — Deos, ea, se prohibente, moueri. Mouere vero dicitur etiam bono sensu.

cap.





c. 59.

*nemo vllius nisi fugæ memor.:* vò *vllius* neutrum esse posse non nego: at dubito, an sic loquantur probi scriptores. puto post *vllius* excidisse *rei*.

c. 65. prope fin.

*Impetu capto*) dubito, an sic vel *Liuius* alibi vel alii scriptores probi dicant. *Conatus* quidem *capere* dixit *Liuius* III, 5 An propterea & *impetum capere* hic dixit? Centies *Liuius* dixit *impetu factò*, quidni & hic? — *Capto* & *factò* facile commutantur: cogites P & F facile confundi & literas deinde transpositas esse. legerim ergo hic *factò*. At forsàn aliis *impetum capere* exquisitius est, (quia nusquam alibi occurrit): non inuideo: quanquam sæpe vidi, ea ab interpretibus in elegantissimis numerari, quæ scriptores ipsi, si in vitam redire iis licuisset, forsàn vel pro vitis habituri fuissent. De hac re alibi.

Lib. III.

c. 5.

*Qui* (hostes) — nulla — *vi sustineri potuere, cum compulsi in castra Romani — obsiderentur, nec spe nec viribus pares: venissetque in periculum summa rerum, ni T. Quintius peregrinis copiis cum Latino Hernicoque exercitu subuenisset*)

Primum totus locus male cohæret. Jo. Fr. Gronovius has scopas dissolutas ita vincit, vt legat: *quin compulsos — Romanos obsiderent, vel: Quum compulsi — venisset in peric. vel cum Ascensio: potuere. Compulsi — Romani rursus obsidebantur.* Adeo sibi non constat. Omnes hæ coniecturæ nimis recedunt a vulgata & codicibus: Distinctione puto locum iuuandum, post *potuere* ponendum punctum, ac pro *venissetque* leg. *venisset* vtiq: *vi* a præced. syllaba & absorptum est. Sic egregie cohæret oratio. Deinde verba *peregrinis copiis* negotium faciunt Cel. Drakenborchio, qui duplici modo sanare locum tentat: 1) vel transpositis verbis: *ni T. Quintius cum pere-*



*peregrinis copiis, Latino Hernicoque exerc. &c.* quæ appositio, (nam copiarum peregrinarum sunt Latinus Hernicusque exerc. vid. c. 4.), etli otiosa videatur, Livi tamen non indigna est, qui V, 19 similiter dixit: *Peregrina — iuventus Latini Hernicique* 2) vel leg. *peregrinis copiis*, ut sit dativus referaturque ad Romanos, quanquam nimis longe a vulgata recedit, pro quo tolerabilius foret *perituris*. Ego puto 1) vel *peregrinis copiis* esse Glossema τὸν cum Lat. *Hern. exerc.* 2) vel, cum dativus desiderari videatur, ad quem *subuenisset* referatur, videndum, an pro *peregrinis* legi possit *perægris* vel tempore ægerrimis vel *propere ægerrimis* vel simile quid. *Ægræ, perægræ, ægerrimæ copiarum* sunt maxime afflictæ, sollicitæ ac fere ad desperationem redactæ. nam forsitan forte vocabulum hic requiritur. *propere* & *pere* facile permutari potuere: ex tempore i. e. in tempore, zu rechter Zeit, prima syllaba excidere potuit. Sic propius accederemus ad vulgatam. At quis in tantis tenebris certi quid definire auit?

## cap. 16.

*mansuetum id malum & per aliorum quietem malorum semper exoritur, tumque esse peregrino terrore sopitum videbatur*) Sermo est de seditionibus tribunorum sollemnibus. Locus, ut nunc est, non coheret, legendumque, cum Sigonio, *tum esse sine ratione que*. Possit tamen etiam *que*, quod in omnibus codd. esse videtur, cum seq. *esse* conjungi & inde *effici quietum* pro *quiescisse* vel *quiescere*. Eleganter dicitur: *malum sopitum quiescit*: Solent sic elegantes scriptores pro vno verbo duo ponere, ut posterius *effectum, modum, exitum &c.* exprimat. sic *constrictum teneri* pro *constrictum esse*. Bos *rupto iacuit corpore* ap. Phædr. pro *rupta est*: tellus sanguine *madesacta tepet* pro *madesacta est*: & sexcenta alia, quibus, ut Oratores, ita poetæ maxime abundant.

## cap. 17.

*Non, quicquid Patrum plebisque est, consules, tribunos, De-*

\*\*\*\*

OS





os hominesque omnes armatos opem ferre (Capitolio), in Capitolium currere &c.) Memorari hic Deos inter eos, qui Capitolium defendere iubeantur, ineptum videatur: nam ut *ro. armatos & currere in Capitolium* ad solos homines referatur, tamen vix Dii hic locum habere videantur. primum videamus, an defendi possint sic, ut dicamus, Valerium consulem, qui hic loquitur, feruidiore oratione hic uti, ac feruore animi abreptum, cum omnia, quæ sciret, in auxilium vocaret, Deos simul immiscuisse, præsertim cum in periculo esset Capitolium h. e. ædes Jouis, quem ut patrem venerarentur, videamus, quid *ro. Deos* commode substituatur. J. Fr. Gronovius conicit *ciues*. At 1) *ciues* a *Deos* longe abit 2) *ciues hominesque* non bene iungi puto. Ego legerim *eos*, ut referatur ad præcedd. *Patres, plebem, Consules, tribunos*: Nostri dixissent; *eos, inquam &c.* Est hæc repetitio non inusitata. *Deos* autem & *eos* facile confunduntur. sic supra I, 19 *Cel. Dukerus pro Deorum* conicit. *eorum*: & magnus Lipsius ap. *Valer. Max. I, 1, 14. quamque etiam merito infestos Deos reuereretur, pro Deos leg. eos.*

## cap. 19.

At enim diuinis humanisque obruti sceleribus) diuina & humana scelera, quæ & infra XXIX, 18. extr. leguntur, non absurde dicta videbuntur ei, qui nouit, adiectiua subinde obiectum notare. Scelera diuina & humana sunt scelera aduersus Deos & homines commissa. sic muliebri certamen supra I, 57 est certamen, non mulierum, sed de mulieribus, quæ scil. earum præstantissima esset. sic timor externus II, 39 cum externi timentur: sic terror externus III, 10 & terror peregrinus III, 16 sic impij dii occurrunt ap. Tac. Ann. XVI, 31 i. e. qui in rebus magicis, in perniciem aliorum, atque adeo impie & ab impijs aduocantur.

cap.



## c. 23. non proc. ab in.

*Hæc celeriter Romam, ab Roma in Castra Antium perlata*  
*Ab Roma* rectum: nam præpositiones nominibus urbium iun-  
 gi notum est. At *ad in Castra Antium* non placent. Hic  
 etsi non ignoro scriptores & graecos & latinos, quæ *ad urbem*  
 aliquam gesta sunt, ea ita narrare, ut *in urbe ipsa* gesta vide-  
 antur (sic v. c. Aelian V. Hist. II, 25 memoratur pugna *in πλα-*  
*ταίας* h. e. *ad Plateas*, v. ibi summus Perizon. Et Liuius  
 V, 8 dixit: *nec Veis* gestares i. e. *ad Veios*), tamen hic *ad An-*  
*tium* vel delendum existimo, tanquam e margine textis inser-  
 tum, vel transpositis verbis legendum *Antium in castra*. Sic  
 solet Liuius cum aliis scriptoribus bonæ notæ, v. c. V, 12 non  
 proc. ab in. *Namque Veis castra, que amissa erant, recupe-*  
*rata* i. e. *ad Veios*: vbi, si dixisset: *castra Veis*, *perperam*  
*de mea sententia* dixisset.

## c. 52. non proc. ab init.

*Scituros, quod sine restituta potestate redigi in concordiam*  
*res nequeant.*) J. Fr. Gronovius pro *quod* leg. *quam*: quia  
 non pati vult, latinos probos *quod* cum verbo finito pro ac-  
 cusativo cum infinitivo usurpasse: vnde omnia eiusmodi loca  
 corrigenda putat. In quo habet, ut notum est, Jac. Perizoni-  
 um, virum ingenii, iudicii que subtilitate ac doctrinæ ex-  
 quisitæ ubertate præstantissimum, maxime aduersantem, quæ  
 ad Sanct. Min. III, 14, 16 defendit acriter, nec indocte, pri-  
 scos *quod* cum verbo finito pro accusativo cum verbo infiniti-  
 vo dixisse, atque ita *dico, quod; credo, quod;* & similia non  
 barbare dici. Magnus Gesnerus ad Heinec. fund. stili p. 33.  
 assentitur Gronovio ac dicit, Perizonium, licet *ad quod* pro  
 accus. c. infinit. tam acriter defenderit, nunquam tamen illa  
 forma ipsum usum. In quo errat. Locutus est sic Perizonius,  
 quanquam raro, v. c. in Addendis ad Sanct. Min. ad p. 525 ait:  
*Et notabile, quod omnia hæc vocabula dativum habeant* &c.  
*Ego, cuius non est sedere iudicem inter tantos Viros, loco-*

\*\*\*\*

funt





rum tamen a τῶν παλαιῶν Perizonio allatorum copia adductus mihi persuasi, apud priscos vtramque rationem in vsu olim fuisse, atque ipsos v. c. cum dixisse: *Dicunt me scire tum, quod sciam* (vt nostri: — *Sie sagen, ich wisse es, & dass ich es wisse*), ita tamen, vt deinceps prior magis frequentata sit, posterior, vt fit, paulatim obsoleuerit: hinc vti eam raro occurrere patet, ita intelligunt tirones, esse sibi ab ea abstinendum, vt quibus nonnisi ea, quæ crebro occurrunt, ac propterea a priscis ipsis venustiora visa sint necesse est, imitanda esse res facile doceret, nisi homines subinde, si quid vident, quod singulare rarumve est, eo capi, id imitari solerent: quæ vel superbia vel stultitia, etsi in vestibus, non tamen in verbis ferenda est. Cæterum eandem rationem ap. Græcos obtinere notum est, vt modo accusat. c. infin. modo δὲ, atque etiam διότι, (vid. v. c. Xenoph. Memor. IV, 1 Παισίδου δὲ, διότι &c.) adhibeant. An itaque Gronouio, quam pro quod legenti, assentiar, est adhuc, quod dubitem. quam in quod vbique mutare durum est: librarios in vno vocabulo toties lapsos esse inhumanum est credere.

## c. 62.

Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambos exercitus, veteris perpetueque alterum glorie, alterum nuper noua victoria elatum) Locus saluus. de explicationis modo quæro. Genitiuum veteris perpetueque glorie pendere ait Drakenb. a causa, quod intelligit; vt sit i. q. veteri perpetuaque gloria, & cohercat cum τῶν elatum æque, ac membrum alterum noua victoria. Assentirer Drakenborchio, si Sallustius, cupidus variandæ constructionis, non Lilius scripsisset. Ego potius puto, genitiuum istum pendere ab alterum. Alterum (int. exercitum) veteris perpetueque glorie dictum est, vt puer egregie indolis, mulier egregie forme &c. Verum hoc esse, docet Lilius, qui v. c. III, 38 med. dixit: *in paucos preferocis animi*: quid similis? Imo III, 36 non pr. ab in. simpl. vari agitur eadem ratione dixit, licet nil præcedat, a quo regi videtur.

cap.



## c. 69. in.

*Fruentus, que inter — tales metus detractionem militiæ &c.)*  
Metus explicari posse noui: nec pluralis me offendit, qui sci-  
am mentiones &c. etiam occurrere ap. Liuium. Attamen mo-  
tus malim. Sic semper Liuius, sicque de hac ipsa re libro  
hoc extremo.

*Alios consules — plebi adulator aut acerbe tuendo iura ordi-  
nis asseriorem domando multitudinem (i. e. plebem) fecisse* 1)  
duplex gerundium in do, tuendo — domando, in eodem com-  
mate sic positum, ferri non arbitror posse: ac miror, nemi-  
nem interpretum offensum. 2) *domare* ne conuenit quidem huic  
loco, nisi cum Drakenb. explices de conatu domandis 3) qui  
attente legit, sentiat tē domando percommode abesse posse.  
Eliminandum ergo domando & pro eo scribendum *quam ante*.  
Sententia sic plana ac facilis. *Domando & quam ante* quam  
similia sibi sint, quamque facile propterea confundi potuerint,  
monere non attinet. Erunt tamen, qui obiciant, *quam ante*  
non exquisitè dictum. Hæ duæ uoculæ sponte intelliguntur.  
Ergo abesse debent. Audio. At hæc regula si ualeret, quot  
uocabula apud priscos recidenda forent? Neque hic tamen  
hoc additamentum plane otiosum esse sentient ii, qui pondus  
orationis sentire solent. Si quis tamen uulgatum exquisitius  
dictum credat, ei nolumus inuidere.

## Lib. III.

## c. 2. non proæ ab in.

*Reminiscerentur, quam maiestatem senatus ipsi a patribus ac-  
cepissent, quam liberis tradituri essent; ut quemadmodum plebs  
gloriarī posset, auctiorem amplioremque esse* (Consules hic lo-  
quuntur incitantes senatum in Canuleium tribunum plebis).  
Locus haud dubie vexatissimus & uera crux criticorum. J.  
Fr. Gronouius legit: *reminiscerentur, — tradituri essent, ut  
(quemadm. plebs glor. posset) auctiorem amplioremque reciso tē  
que: & ut explicat quibus modis & rationibus. Inest senten-  
tia,*



ria, fateor, at satis coacta & contorta. Drakenb. insistent Gronouii & Doujatii vestigijs conuicit: *Virum, quemadmodum plebs gloriari posset, auct.* &c. Quæ coniectura, aduersans latinitati, satis infelix est. *Virum* non ponitur a probis scriptoribus nisi *an* sequatur. Errant, qui *Virum* pro *an* hodie vtuntur. Dukerus melius: *vt, quemadmodum plebs, gloriari possent, auctiorem* &c. quod placet: *vt reminiscerentur ad rã quam liberis tradituri essent* referatur, sitque i. q. cogitentur veluti *memor* vsurpatur, & ante *quam lib.* solita ellipsi & intelligatur. At *reminisci* non puto *de futuro tempore* apud priscos occurrere. Quare sic distinxerim: *reminiscerentur, quam* (i. e. quantam) *maiest* — *accepissent! quam* (i. e. qualem: nunc quætionem ponunt) *liberis tradituri essent? vt* scilicet hi, (liberi), *quemadmodum plebs* nunc gloriaretur, similiter aliquando *gloriari possent, auct.* — *esse*. plebs profecto a patribus naçta erat auctiorem amplioremque maiestatem, maxime tribunis pl. creatis: Jubent igitur consules *reminisci* senatum, quantam maiestatem sibi reliquerint patres: quærent deinde, qualem ipsi contra liberis suis relicturi essent, vt hi eandem aliquando gratiam patribus suis habere queant, quam hi patres patribus suis nunc habeant necesse sit. Vno verbo: Jubent consules senatores habere rationem liberorum suorum, qui aliquando patribus negligentiam exprobrare possent: adiecta comparatione cum plebe, quæ nunc maiestate sua augenda, liberis æque prospiciat, ac prospectum ei fuerat a patribus. Sensus planissimus. Conieci aliquando — *tradituri essent, neutiquam, quemadm. plebs gl. posset, auct. amplioemque* deleto *trã esse*: tum *quam* foret pronom. relatiuum: *neutiquam* e fine verbi *essent* ut *vt* & initio *trã quemadmodum* constata esset. Similitudo certe inter *neutiquam* & *nutquem* intercedit non parua. At abiecta hæc coniectura magis nunc placet Dukeri emendatio, vt vulgatam seruans, ita certior, præsertim adueta distinctione a nobis proposta.



## c. 6.

Cum in concionem & consules processissent — interroganti tribuno — respondit] quis? vnus e[st] consulibus; debebat responderunt esse, quia consules præcessit. Est igitur oratio *αἰανόλυτος*, nisi vel leg. *responderunt*, vel dicamus, nomen Consulis excidisse: Alterutrum fere magis placet, quam dicere, Liuium oblitum esse, se de consulibus, nec de uno consule, paullo ante locutum.

## c. 9.

Urbem quoque, omnis etiam expertem ante certaminis, multitudinem opificum ad spem præde euocata, obsidere parat [sc. plebs.] Cum urbs ista, e qua plebs armis pulsa dicitur, expertus omnis certaminis dici non possit, Drakenb. legit vel: *omnis etiam certaminis experte certaminis*, vt *experte ad multitudinem opificum* referatur, qui ob lucrum mediū manent; vel: *omnis etiam expertam certaminis*: genitiuum enim τὸ *expertus* iungi posse docet Drak ad XXXX, 3, 4. posterius ipsi magis arridet. Non male. At tunc τὸ *etiam* molestum est, cum statim præcesserit *quoque*. Quid si pro *etiam* legamus iam, sensu præsertim flagitante?

## cap. 13.

De regno agitare: id vnum dignum tanto apparatu consiliorum & certamine, quod ingens exsudandum esset, premium fore.] Sermo est de Sp. Mælio, largitionibus frumenti regnum affertante. Drakenb. errat, cum *exsudandum ad premium refert*, & *premium exsudare* ait esse *premium maximo labore acquirere*. Nego *exsudare premium* dici posse. Imo *exsudandum*, si quid video, pertinet ad præced. *certamine*. *exsudare certamen* dicitur, vt *exsudare laborem* Liu. V, 5 deinde *quod ingens exsudandum esset* eleganter dictum pro *instabat*. Proprie debebat Liuius dicere: *certamine ingenti, quod exsudandum esset*: sed τὸ *ingens* maluit ad *quens quod* referre; non sine elegantia. nil notius. sensus: Mælium prævidisse, quantum certaminis  
 \*\*\*\*  
 sibi





sibi instaret, quod tamen non credidit sibi exitio fore: pro  
*exsudandum* conieci aliquando: *exsuperandum*, *exkauriendum*,  
*ei audendum*. At nunc damno has coniecturas.

## c. 17. prope fin.

Cum *potestas maior*, tum *vir* — *hostes* — *submouere*, *colles-*  
*que* — *ceperunt*) Hæc male coherentia Perizon. sic vincire  
 tentat, vt pro *collesque* legat *colles qui*, vt *qui* referatur ad  
*hostes*: non male. Nec tamen opus, modo post *submouere*  
 signum distinctionis maximæ ponatur. — *submouere*. *Collesque*  
 — *ceperunt* int. *hostes*: quod facile e præcedd. huc trahitur,  
 & sic alibi Lilius. Post punctum autem *que* statim poni, non  
 mirum videri debet. Sæpe sic Lilius, Cicero, alii. vid. v. c.  
 Liu. IV, 20. — *dono fixit. auerteratque* &c. ib. c. 40. in *publico*  
*luctu*. *Fobiusque* &c. Cic. ad Diu. IV, 1, § 10. *accedam*. *Treba-*  
*rioque* &c. XIII ep. 22 extr. *ornaueris*. *Ex ipsiusque* — *con-*  
*firmit* &c. Tac. Ann. XII, 32 in. *Valens præerat. auctaque* —  
*fama* &c.

*et dictator* — *consedit* (i. e. castra posuit) in *viriusque ripis*  
*amnis*, qua sequi *munimento* (i. e. vallo) poterat, *vallo inter-*  
*posito*). Explicari posteriora posse scio, vt nihil est, quod ex-  
 plicari nequeat. nempe *quæ sc. parte*: & *sequi* intell. *ripas*. At-  
 tamen legerim: *quas assèqui munimento* &c. i. e. quousque mu-  
 nimento s. vallo peruenire poterat. *quas* int. *ripas*, quid fa-  
 cilius? æque facile est *qua sequi* mutare in *quas assèqui*, cum  
*as*, quod librarius geminare neglexit, facile semel excidere  
 potuerit.

## c. 35.

*Magnos animas magnis honoribus fieri. neminem se plebeium*  
*contemnunt*; *ubi contemni desissent*.) T. Faber, vt alibi sæpius,  
 ita hic nodum in seipso quærit, ridicule opinans dicta, deim-  
 de omnia c. *ca. contemnere se* eleganter pro *humiliter de se*  
*fèrire, anim. demittere*, vt recte Dukerus. Sic explican-  
 dus locus: *neminem; se ab aliis omnino & maxime ab homini-*  
*bus*



*bus suae fortis amplius non contemnatur, (quod factum erat, cum in creandis tribunis mil. conf. pot. plebs plebeiorum ne semel quidem rationem habuisset) se ipsum contemturum h. e. minus magnifice de se fensurum, licet plebeius esset: breuius: neminem non contentum fore sorte sua plebeia, si ab hominibus eiusdem fortis non amplius contemnatur, & in creandis summis magistratibus non amplius praeferatur. Pro desissent igitur leg. desisser: possit tamen quoque desissent ita ferri, vt dicatur, nemo posse eodem modo, tanquam collectiuum, plurali verbi iungi, quo quisque ei iungi notissimum est.*

## C. 49.

*et tribunus plebis, vir acer nec infacundus, nactus inter aduersarios superbum ingenium immodicamque linguam (Ec.) Hæc indicant, tribuno fuisse superbum ingenium immodicamque linguam: quod a mente Liuii alienum est. Sermo hic est de M. Postumio tribuno militum conf. pot. Huius erat ingenium superb. & immodica lingua (conf. præcedd.), quæ irritando facile a tribuno plebis, inimico eius, in voces inuidiosas impelli poterat. Ergo pro inter aduersarios haud dubie leg. in aduersario i. e. Postumio, quem accusabat. In & inter ob eandem scripturam facile & vbiq; permutantur: & e superbus prima littera s adhæsit rō aduersario, sicque factum esse aduersarios non mirum. Hæc hætenus.*

Quicquid igitur est harum vel animaduersionum vel conjecturarum qualiumcunque, id lectorum & intelligentium & æquorum iudicio ita permitto, vt non modo, si vel paucis illis probauiero, hæc suffragia pro magno laboris, non suauissimi illius quidem, fructu habiturus sim, sed etiam reprehensiones & modestas & argumentis sultas lubentissime ac cum gratissimi animi significatione accepturum me esse profitear.

Sed vt ad id, quod ista conscribendi occasionem præbuit, veniamus, Lyceum nostrum constituit, id pietatem FREDERICO AVGVSTO, Patri patrie longe indulgentissimo, qualique





cunq̄ue modo declarandam, mensis huius diem tertium in factis nomine AVGVSTI omnibus Saxonie ciuibus carissimo & suauissimo insignitum ornatumque orationibus, nisi eloquentie laudem, at animi maximam pietatem præ se ferentibus, celebrare.

Hic Princeps, cuius presentis nuper virtutes non tam vidimus, quam admirati sumus, dignus utique est, cuius amore, quisquis virtutum vero splendore capitur, ardeat, & cuius quoque laudes a nemine non quam maxime celebrentur. Quarum orationum hæc erit ratio:

Primum ego, posita questione, an, ut homo omnino, ita maxime princeps viuus laudari possit debeatque, de laudibus Principis & Electoris nostri dicam, non illis adulatorie factis, sed e re ipsa ductis.

Deinde Septem nostre discipline Alumni prodibunt: in quibus CAROL. GOTTLÖB GVNTHERVS, Lubben Electoris nostri Sapientiam, CHRISTI. FRIDER. PETERENZIVS, Liescov. Finsterwald. frugalitatem, GOTTLÖB CHRISTI. BVRDACH, Köhla Guben. benignitatem e causis, & JO. CHR. LEHMANN, Lubbenau. eandem ex eius utilitate, MATTHEVS GOTTLIEB FROMMANNVS, Peißera Polonus, nuper Judaica superstitione relicta nostra Sacra amplexus, iustitiam laudabunt, DANIEL RVBENIVS, Lubbenau. de nomine Augusti, tanquam felici omine dicet & CHRISTI. GOTTLÖB ALBERTI, Senftenberg. docebit, quales ciues esse debeant donati tanto Principe.

Tandem Vir plurim. reuer. ac doctissimus, CHRIST. HENR. BVRDACH, Minist. Symmysles & Conrector huius Lycei meritis, Collega meus suauissimus & optimus demonstrabit, Electoris nostri Optimi magnitudinem animo in ciues suos paterno affectu, ac detque pia vota pro Electoris totiusque Gentis Saxonie salutis perpetuitate. Quibus orationibus ut accedat, si ac Fautores interelle frequentes velint, Principis, cuius pietas agitur, Lyceique nomine obseruantissime rogo. Scripsimus Lubbenæ kal. Aug. a. C. MDCCXXIII





01 A 6572

ULB Halle 3  
003 053 512



W18


11.2001 Pd.











Vol. 1m. n. 109. c.  
M4

MÆCENATES PATRONOS  
ET  
FAVTORES  
VT ORATIONIBVS IN  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC PA-  
TRIS PATRIÆ  
**FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECTORIS SAXONLÆ ETC.  
**DIEM ONOMASTICVM**  
QVI EST A. D. III. AVGVSTI  
IN AVDITORIO SVPERIORI  
LYCEI LVBBENENSIS HORA IX RECI-  
TANDIS BENIGNE LVBENTIQVE  
ANIMO INTERESSE VELINT  
CVM SVMMÆ PIETATIS OMNISQVE OBSER-  
VANTIÆ SIGNIFICATIONE ROGAT  
AC SPECIMEN ANIMADVERSIONVM CRI-  
TICARVM IN T. LIVII QVATVOR PRI-  
ORES LIBROS PRÆMITTIT  
M. IMMAN. JO. GERHARD SCHELLERVS  
RECTOR LYC. LVBBEN. & SOCIET.  
LAT. JENENS. SODALIS

---

LVBBENÆ EX OFFICINA DEIMELIA

1094